



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

117. An iusp. cadat sub reservationes apostolicas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

n. 5. &c. Dixi ad beneficia non electiva; vi enim dictarum constitutionum quacunque concessionem & privilegia ante illam Innocentii constitutionem precipue à 20. Annis & infra, etiam motu proprio, cuius personæ, Universitati, Collegio, Marchioni, Duci ac Regi super jure præsentandi ac eligendi ad monasteria & alia quævis beneficia electiva, quacunque in causa, & sub quovis onere & conditione concessa, abrogata sint & omnino annullata, etiam si conditiones, sub quibus concessa verè ac realiter servata ac impleta. *Lott. n. 16.*

4. Respondeo tertio: de cetero patronatus concessi, etiam à Papa, propter augmentum dotis, dum ea aucta non est ad medietatem, sed v. g. ad tertiam tantum partem, subjacent revisioni & examini Ordinarii, de quo *Trid. loc. cit.* & nos paulò antè, si concessio facta infra annos 40. à die confirmationis dicti Concilii; non verò subjacent dictæ revisioni, si concessio facta ante annos 40. à dicta confirmatione, *Garc. loc. cit. n. 124.* juxta expressam sacre Congreg. declarationem, quam *ibidem* recitat, & decif. *Rota in una Lucanâ canonicatus*, quam quoque recitat. Addit etiam *n. 126.* juxta decif. *Rotæ in una Melphensi juris patronatus*, 19. Janu. 1594. quod jure patronatus à Papa concessio propter fructus beneficii ad tertiam partem auctos debeat præbari implementum concessionis; & *n. 127.* quod patronatus concessus à Leone X. Anno 1515, ob augmentum dotis, quæ 130. ducatos non excedebat in annuis redditibus 10. ducatorum redditibus, etiam si hujusmodi implementum esset sufficienter probatum, adhuc subjaceret regulæ *Adrian. 6.* qua nimirum, ut *Lott. loc. cit. n. 16.* abrogata fuisse privilegia super jure præsentandi, etiam ad non electiva, nisi eorum fructus, redditus & proventus aucti fuerint bonis propriis privilegiatorum ad medietatem veri anni valoris.

Questio 117. An jus patronatus cadat sub reservationes Apostolicas? &c.

1. Respondeo. Reservationes apostolicas beneficiorum, quæ sunt propter crimen, vel quia contingit beneficia vacare apud Sedem apostolicam (quamvis de his contrarium sentire videatur *Lott. cit. q. 8. n. 98.*) vel ob aliam rationem ex juris communis, vel regularum Cancellariæ dispositione, non comprehendere beneficia juris patronatus laicorum quoad eorum præsentationem tollendam *Less. loc. cit. n. 32.* secus est de beneficiis juris patronatus Ecclesiastici; quod autem dicitur ab eodem ex mente glossæ in *reg. 40. Cancell.* comprehendere tamen beneficia ista juris patronatus laicalis, quoad institutionem, quæ tunc à Papa peti debet; & non à prælato, ad quem alias spectant. *Covar. loc. cit. n. 5.* intelligit de Episcopatibus, Abbatibus, Prioratibus, Decanatibus & aliis dignitatibus, quæ à Papa per regulam secundam reservantur; non verò de beneficiis minoribus, eo quod hæc dicat in omnibus reservationibus, etiam quoad institutionem esse exempta.

Questio 118. An etiam patronatus hujusmodi concessi per privilegium ex causa onerosa, nimirum ex aucta dote, saltem ad medietatem tamen si præservati, ut dictum à suprãdicto decreto Concilii, cadant nihilominus sub reservationibus apostolicis, precipue regula de mensibus?

1. Respondeo: istiusmodi patronatus laicos, ad non electiva nullatenus cadere sub regulis reservationis, etiam si hæc emanarint, ut possit provi-

deri pauperibus & aliis personis benemeritis; cum tamen non sit faciendus favor pauperum Clericorum & benemeritorum, ut aliis injuria fiat. *Lott. cit. q. 8. n. 28. & 29.* Estque in hoc summa æquitas & ratio; nam uti parcurat hæc in parte patronatus acquisitis ex totali dotatione & fundatione, ne laici ab his retrahantur, ita etiam parcendum patronatus acquisitis ex justo augmento dotis; in utroque enim casu laicus proprium exhaurit patrimonium in utilitatem Ecclesiæ, eademque ideo militat ratio conservandi, quod semel ei concessum est, ac proinde tale privilegium correspondivum beneficii talis collati in Ecclesiâ habens perpetuum commensurationem cum re concessa, ipsum quoque inviolabile est, non secus ac contractus celebratus cum ipso concedente, ad cujus naturam magis accedit: pendet enim tunc privilegium non ex concedentis auctoritate, sed ex jure alteri quæsito; & in hoc consistit vis irretactibilitatis & irrevocabilitatis; ita ferè *Lott. n. 56. & 57.* dicens ita quoque ex mente *Rotæ* notasse *Beltramin. ad Gregor. c. 397.* Proinde non subsistit, quod aliqui plus æquo adstantes hujusmodi patronatus inquirunt apud *Lott. n. 38.* nimirum à constitutione *Adriani*, in qua dicti patronatus revocantur, non arguendum ad regulam reservationis, quod dicta prima privilegia non extinguuntur, sed suspenduntur, ac veluti consopiantur tantisper, donec reservatio consumatur: quod præjudicium dilativum non habetur; in tanta consideratione, nec habet tantum amaritudinis, quam habet extinctio, seu revocatio privilegii: utpote quod concessum à principe decet manere, ut ait *Pontifex c. decet. de reg. juris. in 6.* & per ejus successorem non revocari, ut *Paris. l. 4. cons. 37. n. 4.* Nam rectè quidem procedit hæc differentia inter præjudicium extinctivum juris alterius, & dilativum, ut *Lott. n. 47.* Verum in præsentem etiam in ipso articulo istius dilationis juris patronatus, seu potius juris præsentandi, usque dum consumatur reservatio, est jus quæsitum; (secus ac contingit in gratia expectativa, dum eâ concessâ, expectans tantum præteritur pro una alterâ vice in collatione beneficii; siquidem per illam expectanti non est quæsitum jus aliud in re, vel ad rem ante ejus acceptationem. *Lott. n. 48.*) dum in hujusmodi privilegii perpetuo inferitur decretum; ne adversus hujusmodi patronatum ulla reservationes prævaleant, *Lott. n. 49.* Præterea in hac ipsa suspensione includitur re ipsâ privilegii revocatio, dum licet non revocet absolute privilegium, ita ut dici possit extinctum & peremptum; revocatur tamen promissio illa explicata, ne subjiciatur reservationibus; siquidem positum, quod privilegium contineat promissionem, ut tutum sit adversus reservationes; non potest intrare reservatio, quin inducatur revocatio; si non destructiva privilegii, saltem destructiva illius partem, diciturque ideo dispositio revocatoria. *Lott. n. 52.* juxta *Bald. in l. si cum mihi. ff. de dolo. n. 1. & 2.* Quin & dari facile potest casus, ut semel aperta viâ providendi per Papam vi reservationis, patronus frustra etiam per integrum sæculum expectet, ut consumatur reservatio; cum consueverint provideri Curiales, aliæ personæ, in quibus reservationes perpetuantur; & præcindendo etiam ab hoc casu, expectandum etiam sit, ut vacatio incidat in uno ex 4. mensibus, quod durum est, & ejus juris pene totaliter extinctivum; dum partia reputantur non habere; & habere, & frui non posse. *Lott. n. 59.* Et inde gravia scandala, dum laici vident à se auferri sine sua culpa, quod